

8.
DISQVISITIO THEOLOGICA:

Quod

S. COENA

NON SIT

SACRAMENTVM PRAEPARATIONIS,

Breuiter & modeste expendens, contra Celeberr.
Doct. Christoph. Matth. Pfaffium.

Quam consensu Ven. Facult. Theol. in Reg. Acad. Ab.
Sub PRAESIDIO

DOCT. ANDREAE
BERGII,

S. Theol. Prof. Primar. & Archipraepos. Ab.
publico examini submittit

AUCTOR

MATTHIAS HALLENIVS

Ibidem Mag. Docens & v. Lect. Sch. Cath.
D. III. Decembr. M.DCC.XXXVII.

In Auditorio Maximo
horis ante meridiem consuetis.

ABOAE, Exc. Joh. Krämppe, Reg. Acad. Typogr.

S:ae R:ae M:itis
Regnique Sueo-Gothici
Summae Fidei VIRO

Ac

SENATORI,

Nec non

Academiae Aboensis

CANCELLARIO,

Illustrissimo Excellentissimoque

HEROI,

DN. ERNESTO

JOHANNI

CREVTZ,

Comiti & Domino de ROSEBERG / &c.

Maccenati Summo,

Coelestem gratiam, aeternamque Nominis
Gloriam!

Salue Celse COMES!, arctonae Gloria gentis,
 Huius Athenae Spes, Columen patriae!
 Gaudemus cuncti TE nobis esse PATRONUM,
 Qui placido & iusto vertice voluis onus,
 Qui placidus, iustus, praegrandis fennica Proles,
 Fennigenam redamas & refoues sobolem.
 Fennigenam sobolem refoues & pulpita nostra,
 Pulsans pauperiem, tristia fata procul.
 Seruas nostrates, nostrosque tuere penates,
 Ut licet & fas est, & Deus ipse iubet.
 Hinc TIBI crescit honos, celebrat TE docta caterua,
 Quae sua cum reliquis aspera fata dolet.
 Hinc TE turba colit, TE laudat nostra propago,
 Qui nostri curam more parentis agis.
 Hinc TE Musa canit, veneratur fennica tellus;
 TE quoque posteritas, si qua futura, canet.
 Da clemens veniam, quod nostra Tbalia penates
 Celsos, ut tenuis, tangit aditque TIOS;
 Accipe, Celse COMES, ieiunam respice chartam,
 Quam TIBI pauper, inops, proiicit ante pedes.
 Respice denotam rogitantis respice mentem,
 Afflictis rebus portus & esto meis.
 Viue diu felix, tenui SPES Magna clienti!
 Flore ceu cedrus, grande Iubar patriae!
 Verna ceu palmes! IVA sis quoque fama perennis,
 Perfugium nobis, Praesidium patriae!
 Sic ego, sic reliqui, sic mecum fennica pubes
 Captabit laudes semper in orbe IVAS.

CELSISSIMI NOMINIS TVI

†Subiectissimus cultor
 Matth. Hallenius.

Stae R:ae
Magnae Fi

Reuerendissimo Patri ac Domino,

**D_N. JONAE
FAHLENIO,**

S. S. Theologiae DOCTORI Famigeratissimo,
Dioeceseos Aboënsis EPISCOPO eminentissimo,
Regiae ibidem Academiae PRO-CANCELLARIO
Magnificentissimo, Consistorii Ecclesiastici Prae-
sidi Grauissimo,

Maecenati Magno,

Nobilissimo & Generosissimo Domino,

**D_N. ADAMO
FREDENSTIERN,**

Regii Regnique Iudicii, quod Holmiae est,
CONSILIARIO Grauissimo,
Patrono humillima mente Deuenerando,

Salutem, Annos &

Maieſtatis
dei VIRIS

Nobiliffimo & Generoſiffimo Domino,

**D_{N.} S A M V E L I
B L O M F E L T,**

Per Careliam, Sauolaxiam & Neolandiam IV:
DICI Prouinciali AEquiſſimo,

Patrono ſingulari mentis veneratione ad cineres
uſque Colendo,

Nobiliffimo Domino

**D_{N.} J O H A N N I
A R C K E N H O L T Z,**

Regiae Cancellariae REGISTRATORI

Solertiſſimo

Patrono jugiter Colendo,

Famam perennem!

Magne VIR atque PARENS, noſter Celeberrime PRAE-
SULL,

TV reſoues noſtros condecorasque lares,
TV mihi, TV reliquis ſueras certiffimus Umbo;

Gratia pro meritis quo referenda modo?

ILLUSTRES DOMINI, meritis ſimul arteque CLARI,
Sidera iuſtitiae, Gaudia Fennoniae,

FAVIORES natosque ſuis VOS Fennia nouit,
Scit VOS oppreſſis ſaepe de diſſe manum.

In VOS perpetuo dulcis ſpes fixa manebit,
Incolumes ſi VOS vivere fata ſimunt.

Vt me ſpesque meas foueatis GENS Celebranda,
Nec mea ſpernatis munera parua, rogo.

Obteſtor placeant, nec iam contemnere fas eſt,
Haec, quae de fundo paupere dona dedi.

Obteſtor placeant, pura pietate datoris,
Quae ſcripſit calamo noſtra Minerua rudi.

Viue diu felix, longa Digniffime vita,
Aonidum PRAESES, Pieridumque PATER!


Viue TVAE ſtirpi fulcrum Venerabile prorfus!
Viue, Vige patriae! Viue, Vigeque mihi!

Viuite felices fauſtiſſima tempora VOBIS!
Viuite felices Fennonicae ſoboli!

Viuite felices! ſic mecum perſonat arctos;
Viuite felices! ſic iterumque precor

TANTORUM NOMINUM

Cultor bumillimus
& venerator perpetuus
Matth. Hallenius.



I. N. D.

§. I.

IN numero salutis nostrae arcanorum, diuinitus nobis reuelatorum, ac simpliciter fide a nobis credendorum, est *mysterium s. coenae*: cuius tanta est sublimitas, ut ratio non tantum villo modo illud assequi possit, verum etiam, si extra cancellos suos vagata fuerit, coercenda sit, & e sacris litteris comprimenda ac conuincenda, donec Christo, per illas loquenti, promptissimo se submitterit obsequio, II. Cor. X: 5; tantaque dignitas, ut sacrum illud epulum digne participare possit nemo, nisi qui ante se ipsum explorauerit, h. e. diligenter examinauerit an talis sit, qualis esse debeat; qui se ipsum diiudicauerit, probe attendendo ad vitae actionumque suarum conditionem, ne hypocrisis ac simulatio subsit, propriique amoris fucus illum fallat, μη παραλογίζομεν ἑαυτὸν, Iac. I: 22; qui corpus Domini discernerit, majore id reuerentia accipiendo, ac quosvis vulgares cibos; quique mortem illius annunciauerit,

ita vt iugi ac solenni mortis Christi recordatione, non tantum lingua & labiis, laudet & celebret, atque pro ea gratias Deo agat subiectissimas, verum cumprimis, vt motus morte Christi, quam pro omnium hominum peccatorum expiatione subiit, Rom. IV: 25. peccatis sine mora nuncium mittat ac in vitae nouitate ambulare studeat, quia εις τον ημεραν αυτην εβανλισθημεν, Rom. VI: 3. (*)

(*) De his quatuor requisitis dignae praeparationis ad s. coenae usurpationem, agit Paulus I. Cor XI: 28, 31, 29, 26. vid. D. Casp. Erasmi Brochmand, system. Theol. tom. sec. de sacra coena, sect. VII. p. m. 2085. & D. Dannhauerus Hodof. phaen. X. p. m. 625. l.

§. II.

Tanta omnino est horum requisitorum necessitas, vt, si illa a s. coenae conuiuia abfuerint, pro idoneo ac digno (*) hospite haberi non possit, quotquot enim resipiscentiae & fidei prorsus sunt expertes, conscientiam non excutiunt; peccata non agnoscunt, ea serio deprecando; & propositum melioris vitae non habent; quamdiu in tali statu versantur, in quo incorrigibili vita Deum ad iram prouocant; longe tutius atque consultius ab hoc gratiae medio, s. coena, abstinere, quam vt indigne comedendo de hoc pane, & indigne bibendo de poculo Domini, non solum omnem spiritualem fru-

fructum ipsi impediunt, verum etiam rei fiant corporis & sanguinis Christi, grauissimam sibi inde arcessendo damnationem, I. Cor. XI: 27. (**), & 29. (***)).

(*) *Accurate heic discernenda est dignitas euangelica a dignitate legali; hanc negamus atque impugnamus, Rom. III: 21. Matth. VIII: 8. Luc. XVII: 10. illam autem asserimus & commendamus, quamque its tribuimus, qui infirmi sunt in fide, vt illis inseruiat in fidei confirmationem.*

(**) *Non male H. Grotius in annot. ad h. l. ἐνοχῶ ἔσαι τὸ σάμαλ' καὶ ἀμαλ' τὸ κρυβῆ. Par fecit, quasi Christum trucidaret, Hebr. VI: 6. Vt similitudo, explicante Calouio, bibl. Illustr. h. l. in eo consistat: quemadmodum Iudaei grauitur peccarunt, indigne Christum tractando; ita & hi, qui indigne sacram eucharistiam participant. & rel.*

(***) *ὄσμη ἰοδίου καὶ πικρῆ ἀνάξιας, κέρμα ἑαυτοῦ ἰοδί-
ου καὶ πικρῆ. Sic, quod per se salutare est, in venenum in-
p̄i vertitur; non sua natura, per se ac ex intentione
Dei: sed per accidens, & ex culpa hominum, non secus ac
doctrina euangelii, salua sua semper efficacia, Rom. I: 16.
aliis ὄσμη θανάτου ἐστὶ θάνατος, est odor mortis ad mor-
tem, II. Cor. II: 16.*

III.

Quae quum ita sint, multum sibi permittit Cancellarius & Theologus hodie, Tubingensium

celeberrimus Doct. Christoph. Matthaeus Pfaffius (*), dum sine ullo idoneo scripturae testimonio & exemplo, contra communem nostri & sui ordinis Theologorum consensum, docet, indignos quoque conuiuas admittendos esse ad sacramentum coenae, quia sit non solum confirmatorium poenitentium, sed & praeparatorium ad poenitentiam apud eos, qui nondum in statu poenitentiae sunt. Proinde constitui, speciminis loco, argumenta illius praecipua, quibus suam ruetur sententiam, breuiter ac modeste, pro modulo ingenii, examinare; eo certius lectoris expectans fauorem, quo magis mihi conscius sum, innocente hoc conatu atq; consilio, nullius me proueruisse malevolentiam.

(*) In institution. Theol. dogmat. & moral. p. III. s. III. De s. coena, p. m. 712. s.

§. IV.

EST autem haec D. Pfaffii hypothesis: Eucharistia omnibus Christianis coetusque christiani, cui nomen dedimus, quae vi constitutionum Ecclesiasticarum excludenda non sunt, porrigenda est, quoniam est sacramentum gratiae vniuersalis, ubi corpus Christi pro omnibus datum & sanguis Christi pro omnibus fusus exhibentur AD remissionem peccatorum (En terminum ad quem, uti in baptismo Johannis itidem excitatorio & praeparatorio Matth. III: 8. 11.) siue offerendam siue obsignandam. Unde prorsus existimamus, sacramentum hoc esse ratione quidem eorum, qui nondum in statu veri Christianismi sunt, ex intentione diuina, sacramentum excitationis & praeparationis, ratione ve-

re ce-

ro eorum, qui sunt in statu fidei, sacramentum confirmationis. Nihilominus sacramentum hoc, si sub hac τῆξι non sumatur, ut, qui nondum in statu gratiae versantur, sese per id ad conuersionem suam sanctificationemq. excitari patiantur, adeoq. se ipsos probent, mortisq. Domini memoriam beic eo sine agant, ut & ipsi ad mortificanda impietatis suae membra sic manu quasi per hoc sacramentum ducantur, sacramentum inquam hoc, nisi sub hac τῆξι sumatur, (ex opere enim operato id nec excitat, nec praeparat,) non est odor vitae ad vitam, sed odor mortis ad mortem, uti verbum, quod ad iudicium nostrum audimus, cuius & rei euadimus, nisi eidem obediuerimus. Hinc Ecclesia nostra non excludit nisi notorios peccatores, qui hoc ipso ostendunt, nolle se prorsus hoc sacramento ad poenitentiam excitari, caeterosq. omnes admittit.

§. V.

AD haec, quae pro sua probanda opinione adfert
D. Pfaffius, respondemus

I.) Licet Christus traditione corporis atque profusione sanguinis sui, sit factus propitiatio pro totius mundi peccatis, I. Iohan. II: 2; ut sacram coenam, in qua bona corporis ac sanguinis illius edenda & bibenda distribuuntur, ratione ferii sui instituti, ardentissimi desiderii, ac saluberrimi consilii, nec non exquisitissimi pretii, pro omnibus atque singulis hominibus, hoc est, in eorum salutem, instituerit: quo respectu s. coenam esse sacramentum gratiae vniuersalis, non tantum concedimus, verum

verum etiam constanter profiteamur; non tamen inde colligitur, immo, ne specie quidem veritatis consequitur, ideo omnes promiscue homines, nulla habita ratione ordinis salutis, a Deo grauiter praescripti, ad coeleste hoc epulum esse admittendos. Etenim, eucharistiam spectare ad solos Christianos, qui doctrinam Christi amplectuntur, qui baptismi sacramentum susceperunt, quique ecclesiae Christianae inserti sunt, non vno euincitur argumento. Nonne Christo in prima s. coenae institutione & administratione res fuit cum discipulis, testibus *Matthaeo c. XXVI: 26, 27, 28. Marco, c. XIV: 22, 23, 24. & Luca c. XXII: 19, 20?* Nonne sacramenta sunt bona & priuilegia, soli ecclesiae propria? Nonne omnes ante uocationem dicuntur *ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας*, *Eph II: 12?* Nonne sacramentum agni paschalis fuit typus eucharistiae, sicut circumcisio baptismi; nemo autem ad sacramentale epulum agni paschalis admittebatur, nisi qui per circumcisionis sacramentum in consortium ecclesiae Israëliticae prius fuit receptus *Exod. XII?* Nonne prius nasci, quam pasce, in uita naturali obtinet; ita quoque per baptismum, ex aqua & spiritu, prius oportet nos renasci, antequam Christi corpore & sanguine ad uitam aeternam aliamur? Nonne illud in tota antiquitate, praxi ueteris ecclesiae, uisitatum fuit, quando adulti baptizabantur,

tur, quod statim a baptismo ducebantur ad synaxin, vt mysteriis eucharistiae communicarent? Quotquot igitur sunt extra ecclesiae pomoeria constituti, vt gentiles, Turcae & Iudaei, omni destituuntur iure sacram coenam participandi, priusquam Christo sua dederint nomina, inque illius regnum, [sacrae aquae lauacro, cooptati fuerint.

II.) Neque omnes Christianos dictos, sine discrimine, ad s. synaxin admittendos esse iudicamus, sed regulam Paulinam, quam ex I. Cor. XI supra exposuimus, temper & vbique, a singulis idoneis futuris conuiuiis, sancte seruandam esse, vrgemus. Scilicet, excluduntur ex sacro hoc conuiuio. I. Omnes haeretici, qui in errore fundamentalis, variis admonitionibus susque deque habitis, pertinaciter versantur; tales, quamdiu informationes & adhortationes praefracte respuunt, a verae ecclesiae communione procul abstant, ab ea seipso segregantes. Si vero vel ex ignorantia, obstinata malitia vacua, vel ex animi infirmitate, errauerint, non sunt ab usu eucharistiae morose statim arcendi, sed ἐν πνεύματι πραότητι, in spiritu mansuetudinis, tolerandi, informandi & instaurandi, Gal. VI: 1. II. Notorii peccatores, qui in luto peccatorum, non sine aliorum offensione, pertinaciter haerent, I. Cor. V: 11. III. Excommunicati, quamdiu cum ecclesia publice non sunt reconciliati, Matth. XVIII: 17. nisi graui

gravi ac lethali morbo fuerint affecti, ingentia confessione de peccatis doluerint, juxtaque promiserint, si conualuerint, velle se cum ecclesia in gratiam redire. Notum quippe est ex annalibus ecclesiasticis, quod ante expleta poenitentiae tempora, moribundis absolutionem impertiuerint & s. coenae communionem. IV. Obfessi, furiosi & rationis vlu destituti, vtpote qui se ipsos probare non possunt. Interim, qui euidencia dementiae habent interualla, sui que probationem perspicuis explicare possunt indicis, quo minus ad s. coenae vsum admitti possint, nihil obstat. V. Muti, qui externis gestibus poenitentiam ac debitam sui probationem quodammodo significare nequeunt. His addi solent personae infames, & homines facinorosi supplicio adjudicati, de quibus tamen cum moderatione & prudentia iudicandum est. (*)

III.) Quod ad baptismum *Iohannis Matth. III: 8, II.* attinet, ad quem prouocatur, quod ille fuerit *AD remissionem peccatorum siue offerendam, siue obsignandam, excitatorius & praeparatorius*; tum obseruamus, illum locum huc non quadrare, aut applicari posse, quoniam a sacramento initiationis ad sacramentum confirmationis argumentari, non V. C. Praeterea, ex ipso contextu sermonis Iohannis ad Pharisaeos & Saducaeos habiti, euidenter constat, quod, postquam *V. 8.* ab eis exegit, poenitentiam ab omni hypocrisis

poenit. & fucō alienam, quam excipiant κατὰ ἀ-
 ξίαι τῆς μετανοίας, opera verae & seriae poenitentiae con-
 uenientia tanquam eius effectus, & fructus & signa,
 cfr Act. XXVI: 20. deinde v. 11. cit. l. ap. Matth. il-
 los porro sic alloquitur; ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι
 εἰς μετανοίαν, ego quidem baptizo vos aqua NB, AD poeni-
 tentiam; non, vt suscepto baptismo poenitentiam
 primum sitis acturi, sed antequam vobis confero
 baptismum, oportet vos peccatorum vestrorum
 poenitere, & ea confiteri; nam Iohannem non al-
 ios ad baptismum admisisse, quam ἐξομολογημένους τὰς
 αἰμαρτίας αὐτῶν, confitentes peccata sua, ex v. 6. aper-
 tissime colligitur. Non igitur incommodè; εἰς με-
 τάνοιαν, hoc modo exponit Grotius (**): Baptizo vos
 super professione poenitentiae, quam facitis. Scilicet, ad-
 ultorum erat prius credere, ac fidei suae professio-
 nem edere, vt deinde baptizarentur, infantes au-
 tem baptizantur, vt credant.

IV) Sacramentum coenae, ex intentione diuina esse
 sacramentum excitationis & praeparationis, ratione eorum,
 qui non dum in statu veri Christianismi sunt, facilius di-
 citur quam probatur. Esto, quod possit sub ipsa
 s. coenae usurpatione rarissime accidere, vt, qui
 sine poenitentia illuc accessit, fide instructus inde
 discedat; non tamen eiusmodi exemplis, si quae
 sint, tuto fidere conuenit, nedum inde firmiter col-
 ligere licet, illum effectum actioni s. coenae acce-
 ptum ferendum esse, ideo duntaxat, quod eo ipso

tempore euenerit. Cur non verbo Dei, nunquam non efficaciter operanti, modo carnalis amouetur resistentia, talis tribui possit effectus, nos non dum perspiciamus,

V.) Quod illi qui nondum in statu gratiae versentur, ad mortificanda impietatis suae membra se manu quasi per hoc sacramentum ducantur, non satis commode intertur ex conuenientia, quam si coena habeat cum verbo Dei. Hoc simile dissimile est. Licet utrumque sit salutis nostrae promouendae medium, a parte Dei, non tamen inde sequitur, eandem unius esse, quae alterius est, rationem. Dabimus instantiam; Lex est verbum Dei non secus ac euangelium, nihilo minus alio modo illa, alio hoc, ad salutis nostrae restauratorem Christum nos ducit; verbum Dei exerit salutiferam vim suam atque efficaciam non tantum in credentibus, verum etiam, suo modo, in illis, qui extra gratiae statum sunt constituti; sacra autem coena, quamdiu subsistit in nuda sacramentali manducatione, quae omnibus hujus coelestis conuiuii hospitibus communis est, impenitentibus in iudicium cedit, quia non est conjuncta cum spiritali manducatione, quae fit per fidem ad vitam aeternam, ac solis vere piis conuenit. Atque sic spectata sacra coena, nimirum in toto suo complexu, quatenus ex ordinatione diuina manducationem sacramentalem & spiritualem indiuulso nexu coniungit, nunquam est aut fit *oder mortis ad mortem*, sed semper

per est odor vitae ad vitam. Frustra igitur dicitur, illos, qui nondum in statu gratiae versantur, ad mortificanda impietatis suae membra, sic manu quasi per hoc sacramentum duci.

VI.) Concedimus, quod in Ecclesia nostra non excludantur nisi NOTORII PECCATORES, ceteriq; omnes admittantur. Largimur inquam illud sic fieri, sed iuxta temperare nobis non possumus, quia ingenue, quid in praxi apud multos desideremus, significemus. Desideramus in tam sancto negotio meliorem cum doctorum, tum auditorum conditionem, illorum remissione, horum, vel in capitibus Christianae religionis supina oscitantia, vel in vita deploranda securitate, commoti atque perturbati. Cum primis, quod ad illos attinet, non intempestive illud heic monere videbimur. Caueat, caueat sibi quam diligentissime Evangelii minister, ne impenitentes peccatores, licet notorii non sint, ad coeleste hoc conuiuium admittendo, impingat in grauissimam Pauli adhortationem: unde notioris auaritiais auditoris, neque participa de peccatis alienis, 1. Timoth. V: 22. Fallor, an quis facilius & grauius participet de peccatis alienis, quam verbi Diuini minister, qui sine debita, ac quantum vnquam fieri poterit, exactissima cura, cautione, prudentia & adhortatione, tales ad s. coenam admiserit auditores, de quorum conuersione & poenitentia sibi iusta est dubitandi causa. Certe, quisquis ecclesiastes legniter heic suo fungitur officio, iudicio,

& aetimatione Diuina, non minus censendus est hoc sacramentum profanare, quam qui indigne illud edit atque bibit. Hinc pie & recte omnino decretum est in *constitutionibus ecclesiast.* *Electoral.* (***) das Sacrament unehren nicht allein die es unwürdig empfangen / sondern auch / die es mit unfleis unwürdig geben. Neque nisi vera nosmet dicturos arbitramur, si asseruerimus, exinde quod auditores nostri adeo promiscue ad s. coenam admittantur, plerisque eorum ingeneratam esse perditissimam opinionem, sacram coenam illis ex opere operato prodesse, Immundi ab usu agni paschalis arcebantur, *Numer.* IX: 6, quanto magis igitur illi fuerint arceudi a sacrae coenae communionem, qui in peccatorum regnantium ac prooereticorum lorde & immunditie, sine vilo poenitentiae studio contumaciter perseuerant? Facile ea praeuidemus dubia, quae nobis obiici possunt. I. Talem si adhibuerit ecclesiastes rigorem, fieri posse, vt auditorum sibi contrahat malevolentiam, Resp. sit ita, modo Dei sibi conciliet benevolentiam, & conscientiae tranquillitatem. II. sic minui verbi D. ministri stipendia. Resp. sufficit, quod gratuita illius in coelis sit futura merces, quae heic accisa salaria compensabit. III. Ita verbi ministro dari occasionem ex affectu prauo eos, de quorum constat probitate, arceudi. Rf. Loquimur de cordatis & tuta conscientiae studiosis verbi ministris. Si quis ecclesiastes adeo turpiter suo abuteretur officio, leuerissimas promereret poenas, tam execrando dignas

gnas scelere. IV. Eo modo euangelii ministrum vix explicabilibus implicari litibus, & a suis auditoribus ad forum trahi. Resp. Conscientia, quae peccatorum inquinamenta auersatur & abhorret, nulla, ne vel austerissima se patitur deterreri comminatione ac vi, a vero & bono, cuius conuicta est. Vnde pie quondam pronunciauit *Chrysostomus* (****): *malle se sanguinem & vitam profundero, quam cum vulnere conscientiae indignos ad sacram coenam admittere.*

(*) *vid. Io. Gerbardus, loc. Theol. tom. V. de s. coena, Cap. XXI. §. 221, p. m. 187. f. (**) in annot. ad b. l. (***) ap. Gerbar. l. c. (****) Homil. LXXXIII. in Matth. ap. Gerb.*

§. VI.

Licet potiora argumenta, quae pro sua adstruenda sententia adduxit *D. Pfaffius*, a nobis iam sint examinata, ne tamen quidquam intactum omitteretur, & iis quae supersunt, vtut leuioribus, tantisper immorabimur soluendis,

INSTANT. I.

Quin fert communis sententia, quae & in F. C. p. 743. exstat, Iudam quoque primae coenae sanctiori interfuisse, cui utique ex intentione Christi eucharistia sacramentum confirmationis haud esse potuit, sed saltem excitationis, etsi vt dudum diximus, collectis inter se euangelis, NON LIQUEAT, num epulo sacro is adfuerit. Resp.

I.) Ipse *D. Pfaffius* dubitat de Iuda, num s. epulo adfuerit Et alii cum illo haesitant, salua multorum

rum grauiumque Theologorum auctoritate, existimantes validiora & plura argumenta pro ea militare sententia, quod Iudas in s. coenae institutione praesto non fuerit, nedum eius particeps factus sit (*).

II.) Si vel concederemus tum Iudam adfuisse, nullum tamen inde robur *D. Passii* hypothese accedere videmus, sed potius scelestissimi huius apostatae comprobatur exemplo, eucharistiam illi non fuisse sacramentum excitationis vel praeparationis.

(*) Vid. *Petrus von Mastricht*, reform. rel. Theologus, in *theoretico-practica theologia*, libr. VII, c. V, part. dogm. §. XIII. p. m. 934.

§. VII.

INST. II.

Iam & *A. C.* art. 13. expresse ait, *sacramenta in genere esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita.* Resp.

I.) In eodem hoc articulo, paulo post verba citata, beati nostri confessores damnant illos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem NB. requiri in usu sacramentorum, quae credit remitti peccata. Hinc b. Lutherus, obseruat iis quae praecedunt, rotunde sic loquitur: qui vera his verbis non credit, aut de illis dubitat, ille est indignus ac imparatus. Quia hoc verbum, PRO VOBIS, postulat omnino cor, quod Deo credat (*). Possimus ex libris nostris symbolicis plura, si necesse esset, in hunc

hunc tenum cumulare loca, sed nunc illa duntaxat indicasse (**) sufficiet.

II.) Recte omnino sacramenta dicuntur signa & testimonia voluntatis Diuinae erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in nobis. Nonne per baptismum, fides in nobis excitatur; per sacram coenam vero, confirmatur.

*) In catechif. min. p. 382. (**) vid. Apol. A. C. p. 203, & 267. Luth. in catech. maior. p. 557., 558, 562.

§. VIII.

INST. III.

DEnique praecipua utique officia, quae communicantibus hic iniunguntur, sunt,

(1.) ut semet ipsos probent, num sint in statu fidei dei, & si secus id se habeat, vt omnibus viribus eo annitentur, vt in statum eiusmodi beatum perueniant,

(2.) vt mortem Domini annuncient, quorum utrumque & probatio nempe sui ipsius, h. e. examen sui ipsius, & annunciatio mortis Domini NB. ad poenitentiam eodem modo excitare peccatorem potest, quo fidelem id in statu gratiae confirmare valet. Qua vero ratione nos, quae heic I. Cor. XI. dicuntur, intelligamus, iam in tractatu de originibus iuris ecclesiastici extulimus p. 235, 237, 246. vbi omnino arbitramur, eam, quam heic dedimus, rerum explicationem ex contextu suo promte fluere, etsi communis explicatio cum the

"si nostra stare omnino possit, cum sane id certis-
 "simum sit, eos irae diuinae se subiicere, qui, vbi
 "nullo adhuc sanctimoniae flore ornantur, heic ad
 "resipiscentiam excitari sese haud patiuntur. Caete-
 "rum quae in diss. de vitiis eorum, qui sacris ope-
 "rantur s. 2. § 4. p. 42. seqq. editionis primae,
 "hanc in rem existant, iuxta communem sententiam,
 "in cuius tamen soliditatem, tum nondum inqui-
 "rere institueramus, & iuxta quam sacramentum
 "sacrae coenae sacramentum confirmationis sakem
 "esse fertur, posuimus, vbi vtique ostendimus, hoc
 "principio posito, ministrum euangelii in conscien-
 "tia obstrictū esse, vt omnes eos, qui nondum in
 "statu verae conuersionis sunt, a sacra coena ex-
 "cludat, nec magni admodum ponderis esse illa I-
 "ctorum argumenta, quibus contrarium conficere,
 "& ministrorum manus hic ligare volunt. At ve-
 "ro, si communis cuiquam stet sententia, qui salua
 "conscientia is iis, quos in statu verae fidei haud
 "esse nouit, cuiusmodi hominum maior semper
 "communicantium pars est, porrigere sacram coe-
 "nam possit; id quod tamen ratione officii non fa-
 "cere non potest, egomet quidem haud perspicio.
 "Scilicet aut officio sanctiore heic abscedendum, aut
 "continua conscientiae vulnera infligenda sunt. Si
 "vero nostram quis sententiam adoptauerit, non
 "est, quod vano terrore seipsum semper agitet &
 "multum hic haesitet, non est etiam, quod con-
 "tinu-

tinuis exclusionibus, quo impenitentes a sacra-
 coena abstrahere conatur, ecclesiam, imo repu-
 blicam turbet, atque inconsultis odiis & inimicitia-
 is, quibus profecto coetus sacer haud aedificatur,
 omnia compleat. Unde, ut exclusiones illae pro-
 miscuae pro praesenti eoque corruptissimo ecclesi-
 ae statu tolerentur, haudquaquam existimauerim.
 Resp.

I.) Ad haec fere singula responsum esse arbitra-
 mur in iis, quae supra monuimus. Certe, quo se-
 uerius atque religiosius verbi ministri, qui sunt
 δεικνόμενοι μυστηρίων Θεῶ, dispensatores mysteriorum Dei, I. Cor.
 IV: 1. munere sibi demandato, non suo, sed Dei,
 funguntur, siue id fiat, verbum docendo, siue sa-
 cramenta administrando, siue vtriusque clavis cum
 soluentis tum ligantis recto vii, eo melius ecclesi-
 ae, ac tutius suae conscientiae consulunt. Semper
 & vbique illius Pauli II. Cor. V: 13. in vicem symboli
 memores: εἴτε γὰρ ἐξήσημεν, Θεῶ * εἴτε σαφροῦμεν, ὑ-
 μῖν. Et II. Cor. VI: 8. Διὰ δόξης καὶ ἀπειρίας, διὰ δυσφημίας
 καὶ ἐνδοκίας * ὡς πλάνοι, καὶ ἀληθεῖς.

II.) D. Pfaffium sibi ipsi opponimus. Ita vero ille,
 hac de re verba facit (*): quam enim angat hoc vi-
 rum, cui sincera & pia mens est, dare canibus
 sanctum & margaritas coram porcis proicere, ad-
 eoque ea, quae sanctissima sint, praua quadam
 συγκαταβάσει profanare, dare & iis sacramentum

"gratiae, NB. queis veneni loco id futurum, iudici
 "umque Domini certissimum inducturum ipse sum-
 "mo cum animi dolore intelligit, maxime cum
 "videat, hominibus hac ratione, dum NB. quos-
 "cunque fere ad sacram coenam admittimus laxissi-
 "mum de Christianismo pratico conceptum in-
 "geri, qui NB. securitatem carnalem sine villo du-
 "bio ipsis infusus sit, quam, inquam, omnia
 "haec sincerum ecclesiae ministrum, qui tamen me-
 "delam rebus nullam nec adhibere potest, nec adhibi-
 "tum iri videt, angant, agitent, affligant, in prom-
 "tu est cogitare. Et paucis interiectis: sed enim
 "deplorandum est, NB. confirmationis hoc sacramen-
 "tum ne sacramentum quidem initiationis nobis
 "amplius in praxi esse, utpote quod, si commu-
 "nem respicias consuetudinem, in NB. nudum
 "externum symbolum, quo significamus, nos cer-
 "to cuidam coetui adhaerere, illiusque placita nostra
 "facere, inque NB. opus quoddam operatum, cul-
 "tumque externum, cui, quoniam ita mos est,
 "homines adhinniunt, degenerauerit. Tacemus
 "praeiudicia communia, quae utramque heic a-
 "pud vulgum, eosque etiam, qui ultra vulgum
 "heic sapere volunt, paginam occupant, qualia
 "sunt, quod miseri arbitrantur homines, si saltem
 "formidine quadam & metu, quo ob commissa pec-
 "cata angantur, pertusum pectus fuerit, statim, at-
 que

que absolutio labia sacerdotis deuerberet, peccata remissa esse, cum constet, NB. nemini nisi qui iam resipuerit animumque mutauerit, absolutionem valide annunciari posse; porro, quod omnes fere existimant, eos, qui sacramento hoc non utantur & operi huic externo haud vacent, ne Christianorum quidem in numero habendos, imo, si quis exactam rebus pietatem adterre velit, eidem post trium vel quatuor mensium decursum ad sacras epulas rursus accedendum esse, quae res nescio quid superstitiosi alit, nec de sacramenti huius indole & libertate Christiana, quae profecto illis limitibus heic prorsus haud coërceri amat, recte iis, qui hanc sibi mentem induunt, constare ostendit.

(*) *In dissertat. s. libello academico, de vitiis eorum qui sacris operantur, & medela rebus hic adhibenda, scđt.*

II. §. IV. pag. 926, 927, 928.

SOLI DEO GLORIA!



The following is a list of the names of the persons who have been
 appointed to the office of Justice of the Peace for the term
 ending on the 31st day of December, 1900, by the Board of Supervisors
 of Sacramento County, California, at their meeting held on the 14th
 day of December, 1900, at Sacramento, California, to-wit:

For the Precinct of Sacramento, California, the following persons
 were appointed:

For the Precinct of Colusa, California, the following persons
 were appointed:

For the Precinct of Colusa, California, the following persons
 were appointed:

For the Precinct of Colusa, California, the following persons
 were appointed:

For the Precinct of Colusa, California, the following persons
 were appointed:

For the Precinct of Colusa, California, the following persons
 were appointed:

SACRAMENTO COUNTY RECORDS

